



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Petrus Cnapheus Sev Fvlllo In Thoma VVeigelino,  
Lvtherano Theopaschita Redivivvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1609**

§. 16. Faustus Episcopus Appollonidis veteri & nouo Fulloni Cruce[m]  
Trisagio adiectam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65394](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65394)

Dicis enim, sanctus Deus. Et quis nescit, quoniam primus Pater sit secundum ordinem opinationis omnibus consueta, licet non secundum eminentiam diuinae dignitatis? Postea dicis: sanctus fortis. Et quis nescit secundum Prophetam Esaiam, natum nobis Christum IESVM puerum, cuius principium fuit simul cum ipso, & vocatur, & est, magni consilij Angelus, Deus fortis? si enim crucifixus est, ex infirmitate, infirmum nostrum assumens corpus, hoc passus est. Fortis autem Deus existens, voluntarie ad crucem proprium exhibuit corpus, sicut dicit Propheta: Ipse infirmitates nostras assumpsit. Deus autem & homo, ab omnibus simul confitetur Christus, tu solam fortitudinem Christi, Deitatis dicis; Et percurrens hoc, venisti ad Spiritum sanctum, & confessus fuisti (sicut est verè) immortalem. Quem ergo inferens crucifixum, propter nos, praeter Christum, dicis? Nonne ergo manifestus factus es quaternitatem sapere, alium praeter fortem Deum, Christum nominans, dum spiritum sanctum crucifixum, fuisse dicis? Et quid magis impium isto factum vnquam fuit?

§. 16. *Faustus Episcopus Apollonidis veteri & nouo Fulloni Crucē Trisagio adiectam.*

Ostendere visum est, non ita te sapere debere, vt Trisagio crucem adiungas, & passioni, & morti impassibile submittas: sed purè, sicut ea, quae sunt Seraphim, & pie gloriam dicere, Quomodo Christianizant gentes, si nomē Saluatoris non inferatur Christo? Quomodo autem & ipsi Christiani fideles esse possunt, non superponentes cruci nomen Christi? Audientes enim fideles Deum immortalem propter nos crucifixum, dicent scandalum esse, credere in Christum, auertentes, & dicentes; Dij nostri, qui apud Christianos populos adulteri



teri sunt, immortales à nobis appellantur. Et quomodo ipsorum Deus, immortalis existens, mortuus est? Manifestum, quòd falsa est dictio ipsa, si enim mortuus est, non est immortalis. Adhuc neque fortis, sed infirmus mortalitate tentatus. Non isti solùm, sed & Dei cultores, & nobis confideles, dicent: Vtrique isti (Theopaschitæ) Dei passionarij sunt, & non Christiani. Manichæi, & non orthodoxi, quia Trinitatem tenentes non Trinitatem, Eutychnistæ sunt, non rectè sentientes: Nestoriani, non Christianizantes, &c.

Videas charissime, non in finem ducas diffamationem tuam, ne derisus fias, tanquam Deum passibilem, vel quaternitatem asserens, &c.

§. 17. *Pamphilus Episcopus Abydenus veteri  
& nouo Fulloni ὕμναίον.*

Præcedentium nostrorum Coëpiscoporum attendens symbola, non sciuisti non fuisse additam Trinitatē quaternitatem, dum Trisagium diceres in additione crucis? Ipsa enim est draconica, & venenosarum hæresum vox, & porta inferni, & sempiternus ianitor mortis, & Christianorum laqueus, innocentium captio, orthodoxorum anomus, id est, contaminatio, fidelium prolapsus, sapientium titubatio, industriorum scandalum, quibus suspectus fuisti dulcis esse cum tua excæcata expositione, qua agonizas contra Apostolicam diffinitionem, & Euangelia, & trecentorum decem & octo Patrum symbolum, additionem in Trisagio ignorantium intellectuale venenum. Dic mihi ergò, quis Deitatem dicit crucem sustinuisse? Quid Deum verbum nudas à stola? Quid infecabilem tua ignauia, seu umbrositate fecas? Quid veritatem saucias? Quid Nestorio, & Euty-  
cheti, Christi sectione, foederatus sis, & Samosateno cõ-